



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XII. Ij, qui auctotitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

mandati petere, sed nec posse ipsi ab executoro de ea præbenda provideri, propterea quòd gratia per ipsius negligentiam fuerit extincta. Sed aliter dicendum, si Clericus auctoritate Apostolica ab initio Canonicus effectus sit, tunc negligentia non petendi præbendam proximè vacantem, ipsi non obstat, quòd minùs petere possit aliam præbendam, quæ postea vacarit, & nulli alij de jure debita est, eò quòd ratione Canonicatùs, quem obtinet, alijs omnibus præferendus sit, dummodo nullus adhit per eandem Apostolicam auctoritatem expectans. Et verò hoc ipso casu non executor præbendam postea vacantem conferre debet, quandoquidem is mandatum non habet, super hac conferendâ præbendâ, sed eâ, quæ antea vacaverat; collator tamen ordinarius Titio Clerico illam conferre debet, ita ut, si alteri conferat, collatio irrita sit.

SUMMARIUM.

1. *Habens expectativam à Papa ad præbendam proximè vacantem petendam, si petere eam negligat, perdit hanc gratiam.*
 2. *Nisi in Canonicum jam receptus jure Canonicatùs præbendam posteriorem peteret.*
- N**otandum primò. Si habens à Papa expectativam ad præbendam, quæ proximè vacatura est, eam non petat, ob negligentiam, extincta est gratia, postquam præbenda alteri collata fuit, consequenter etiam extinguitur mandatum executoris, cum sit accessorium gratiæ. *C. si super 9. de officio delegati in 6.*
2. Notandum secundò. Receptus papali auctoritate in Canonicum jus habet petendi præbendam, si quæ proximè vacet, dummodo alteri ante ipsum simili auctoritate recepto debita non sit; quòd si Canonicus iste præbendam ita sibi debitam per negligentiam non petat, & idèò alteri

conferatur, valet collatio, sed potest ille aliam, quæ post hanc vacaverit, eodem sui Canonicatus jure petere. Ratio est in textu, quia receptus in Canonicum, quamdiu Canonicam retinet, jus habet petendi præbendam.

CAPITULUM XII.

Ij, qui auctoritate.

PARAPHRASIS.

Quibus Clericis Canonicatus Apostolicæ auctoritate collatus est, ij in assuetudine præbendæ, seu Legatorum, seu aliorum quorumcumque auctoritate super Canonicatu in eadem Ecclesia provisus, præferri debent. Porro, qui mandato Legati, vel alterius cujusdam, Apostolicæ Sedis auctoritate, sibi ad hoc specialiter commissâ, in Canonicum recipitur, is papali auctoritate receptus conferri debet.

SUMMARIUM.

1. *Regula juris, qui prior est tempore, potior est jure, intelligi debet, si æquale utriusque jus sit.*
2. *Per Apostolicam auctoritatem receptus in Canonicum conferatur, si specialiter alicui, or dinary potestatem ad conferenda beneficia habenti, mandatum sit, ut ex hujus auctoritate de beneficio certa persona provideat.*

Notandum primò. Regula illa, qui prior est tempore, potior est jure, *in 6.* intelligi debet, si æquale utriusque jus sit, seu par causa; non item si causa dispar, aut jus inæquale, quia ut *Gl. hic ait, V. antea. Ancharan. not. 3.* gratiæ & privilegia non æstimantur ex tempore, sed ex causis, & personis; cum itaque Pontifex majore, quàm alij, in conferendis beneficijs auctoritate polleat juxta *c. dudum 14. S. not. igitur. infra. hoc tit.* ita ut ipse jus expectativæ tribuere possit, quòd alijs negatum est, idèò qui auctoritate Apostolica receptus est in Canonicum, alijs etiam ante ipsum, inferiore auctoritate receptis, in

CAPITULUM XIII.

Si postquam.

PARAPHRASIS.

Pontifex Canonicatum Titio Clerico contulit, dato executore, qui præbendam proximè vacaturam, nulli alteri debitam, eidem Titio provideri curaret. Accidit autem, ut Capitulum v. g. ad quod in ea Ecclesia præbendarum collatio spectabat, vacantem præbendam proprio motu conferret Cajo, ignorans gratiam expectativam à Pontifice factam fuisse Titio. Hoc casu ait Bonifacius VIII. collationem hanc à capitulo factam, in præjudicium Titij, non subsistere; nam hoc ipso, quòd is Apostolica autoritate Canonicus effectus fuit, jus ad præbendam proximè vacaturam consecutus est, eamque proinde cum primùm vacavit (quando nulli alteri debita fuit) justè petere potuit, & idèd alteri conferri nequivit.


NOTandum. Si præbenda Canonialis vacans non conferatur ei, qui auctoritate Papali in Canonicum receptus est, sed alteri, cui non debetur, irrita est collatio, non obstante, quòd Collatores ignorent. Ratio datur in textu, quia Canonico ita recepto præbenda proximè vacatura debita est, si alius non adsit, cui eadem Papali auctoritate priùs recepto debeatur. De inferioribus autem Collatoribus alia ratio est, cum enim jus expectativæ dare non possint, idèd si aliquis auctoritate Capituli v. g. Canonicus fiat, non consequitur propriè dictum jus ad præbendam proximè vacantem, ut ipsi ex justitia debita sit, quare præbendæ collatio alteri facta subsistet. Sicuti dixi in c. inter 17. hoc tit. in antiquis.

in affectuone præbendæ præferri debet; hæc tamen locum non habent in Ecclesiis Germaniæ, in quibus juxta Concordata Canonicatus vacantes à Pontifice, & ordinario collatore mensibus alternis conferuntur, ita ut recepti Canonici omnes æquali jure in affectuone Canonialis præbendæ, secundùm cujuscunq; Ecclesiæ consuetudinem, gaudeant.

1. Notandum secundò. Si Legato à Latere vel alteri habenti ordinariam potestatem conferendi beneficia, à Pontifice specialiter mandetur, ut certæ personæ, auctoritate Apostolica, Canonicatum provideat, ex tali mandato provisus, & receptus censerit debet per Apostolicam auctoritatem. Rationem dat *Joann. Monach. hic*, quia si Legatus à latere beneficia conferat, suâ auctoritate procedit ut Ordinarius, non ut delegatus Papæ; si autem idem Legatus ex speciali commissione Pontificis, adeoque Papali auctoritate, beneficium conferat, tunc procedit ut delegatus. Major autem, & fortior est potestas in causa speciali delegati, quàm potestas ejus ordinaria c. 3. de officio Legati. Caterùm si Papa mandet Legato à latere, ut Titio beneficium conferat, non addens Apostolica auctoritate, tunc censerit excitare officium, & potestatem ejus ordinariam, quemadmodum si aliud quidpiam ordinario præcipiat, cujus agendi potestatem habet, & non adjiciat, ut Apostolicâ auctoritate, adeoque ut delegatus, procedat. Sin autem Ordinarius potestatem talem non habet, v. g. Episcopus, ut contra exemptos procedat, vel Vicarius generalis, ut beneficia conferat, tunc Superior talem potestatem ipsi simpliciter committens censendus non est, potestatem ordinariam rogare, sed novam delegare, secundùm

Gl. finalem receptam hic, Dominicum

Bald. Franc. ibidem.



S

CAPI-